



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Epistola Pastoralis Illustrissimi Ac Reverendissimi Domini
D. Humberti Guilielmi A Præcipiano, Archiepiscopi
Mechliniensis**

**Precipiano, Humbert Guillaume de
Lovanii, [1692]**

Caput VII. De moderatione in Concione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39186

interim Christiani hominis officium pars multò maxima aut ignorat, aut non implet? Faciliat è templis hæc Philosphandi libido, non veritatis, sed ingenii ostentatrix. Scholis illa ser ventur, in quibus tractantur non inutiliter, modò tractentur sobriè. Et suos enim Schola habet justos limites, quos qui prætereunt, manet præcipitum.

C A P U T VII.

De moderatione in Concione.

Dicitur, Scommatis, Censuris abstineant, neque insulsis convitiis cathedram profanent, & in Aristophanis sive maledicentiæ theatrum infame commutent. Opiniones, quas Ecclesia tolerat hactenùs, & doceri finit, Censoria virgā ne notent. Hæc quorundam arrogantia multarum mater est turbarum atque seditionum. Christum denique non Magistros suos prædicent, ne cæcos interdum duces cæci ipsi sequantur. Certi sumus hanc licentiam in nullo umquam pati impunitam, sed Ecclesiasticæ severitatis vinculis pruritum intolerabilem frænare. Habet ubi se Christiana eloquentia exerceat, licet in virulentas Satyras adversus Fratres, adversus commilitones suos, adversus Cleri Collegia, adversus Religiosas familias non prorumpat; licet odio, atque invidiæ & amaro zelo, quem S. Jacobus plurimum increpat, & ex Christianis cætibus exterminatum it in Catholica sua Epistola, non velificetur. Neque hæ tantum apertæ rixæ nobis, & bonis omnibus displicant, sed obliqui quoque iectus morsuisque figurati, & intortæ velut sub ancipiti verborum velo sicæ, quo sæviendi genere nonnulli videri se mirè ingeniosos existimant.

In reprehendendis vitiis, monet S. Carolus ibid. Ita se gerant, ut pietatis & charitatis studio eos adductos, non hominum, sed peccatorum odio id facere omnes intelligant. Ne sic igitur resonantia publicè vitia castigent, ut è corona quempiam, dito, ut aiunt, signent, ruboremque non illi solum & stomachum, sed concioni universæ moveant: quo quid potest esse durius, & à Christiana lenitate & prudentia alienius? Quanto rectius seorsim corripetur juxta Christi Servatoris regulam? Quanto majori cum spe emendationis & fructu, quisquis ita reus est,

est, cum videbit sincerè paternèque secum agi? At publica reprehensio & è cathedra, quæ speciem habet contumeliam, exasperabit aninum, à Concionibus & templo deterrebit quantumvis vitæ melioris cupidum, in desperationem ager præcipitabitque impatiensem injuriæ.

Nec carnis virtia resque venereas sic incessant è cathedra, recensendo omnia enucleatius, & vivacius repræsentando, ut nullus honor sit auribus castis, & peccare potius doceant, quam à peccando deterreant. Materia tam lubrica & delicata delicate tractari amat, & pingue Minervam osque insulsum odit maximè. Nequaquam convenit hic esse nimios, & experientia ipsa docet quosdam per ejus generis conciones factos esse deteriores, prouioresque in libidinem, alios adhuc integros purosque sceleris frequenti admonitione solicitatos ad flagitium. Ad promiscuam ætatis omnis, statu, conditionis & sexus multitudinem jacere periculosum est, quod prodebet paucis queat, nocere pluribus.

Quidquid autem tractandum suscepint, graviter, attente, religiosè tractent, memores personæ quam sustinent, & Verbi Divini, quod explanant. Materiæ dignitati totius corporis habitus, orisque Majestas respondeat. Nihil sit in gestibus leve, in voce molle, in dictione effeminatum, aut ad risum potius, quam adpios animorum motus excitandos compositum. Neque sic affectent populares esse, aut rerum naturam exprimere, ut acceptis è trivio verbis minimum agere videantur, non Evangelii præconem: in quo non pauci se decipiunt, ac si punctum omne ferrent, sibique blandiuntur.

In Sacris denique Oratoribus locum minimè habeat illud: *fugor vice cotis*. Non facile quempiam exacuet, nisi ipse acutus sit, neque cælestibus flammis accendet auditorum pectora nive frigidior. Se priorem animet oportet, affectus eos inse conciter necesse est, quos in aliis concitandos suscipit. Spes verò fructus omnis evanescit, si sua dicta factis destruat, & de virtute locutus magnificis verbis deprehendatur in flagitio, iisque obnoxius vitiis, quæ pro corona maximè exagitat. Via ad virtutem insinuandam animis compendiosissima est per exempla, quibus præcepta exprimantur. Hinc capir JESUS facere & docere. Via per præcepta exemplis destituta longa, anfractuosa, invia, sine exitu, & ut verbo absolvamus, labyrinthus.

CA.